





3407.

30

1703

9

Q. D. B. V.  
De

# STUDIO JURIS RECTE INSTI- TUENDI,

*Salvo aliorum Judicio,*  
cogitat

& simul Scholas tam privatas

AD

## INSTITUTIONES

Justinianæ, quam publicas ad  
Digestorum Titulum

DE

## VERBORUM SIGNIFICATIONE,

cupidæ Legum Juventuti officiosè  
aperit

**HENR. ERNEST. SEEBACH,**

Jur. Utr. Doct. & Prof. Publ. Extraord.

VITEMBERGÆ,

LITERIS JO. GOTHOFREDI MEYERI.



12.





Agna profecto per universum fere terrarum orbem autoritatis est *Jurisprudentia Justiniana* a: & quod cordati omnes ingenuè agnoscunt, non sine ratione. Summa enim ex principiis ejus ubique resplendescit æqvitas. Quandoquidem non tantum leges suas Romani Græcis b, Græci Egyptiis, Egyptiis verò Israelitis acceptas ferunt c, sed & veteres insuper Ictos ex dictamine rectæ rationis scripsisse, Digesta no-

stra, quæ ex illorum libris confarcinata sunt, luculenter satis ostendunt. Unde illustre admodum & longè amplissimum est elogium, quo Justinianicum jus ad cælum usque extollit jure tum belli, quam pacis consultissimus Albericus Gentilis d, *Audacter*, inqviens, *dicam, jus Justinianicum ejusmodi esse, ut non rectius, non sanctius, non honestius universa Theologorum schola sancire valuerit. Fuerunt maximi illi Icti Ethnici quidem fere omnes, sed qui natura vocem secuti & legis ejus, quam insculpsit Deus animis nostris, sua se conscripserunt, ut ne unguiculum quidem à recto tramite justæ omnis legislationis aberrarint. Sunt qui contulerunt libris integris Mosaicam & Justinianeam sanctionem, & qui affirmant verè, quod si Christianum nomen Ictis illis deferas, Christiana omnia in illis facile deprehendas.* Illud tamen magno est opere dolendum, evenisse Jurisprudentiæ nostræ, quod sapius domui ab initio ad simplicitatis regulas extractæ: quam cum auctâ domini familiâ demoliri, & in locum ejus novam ædificare & pretiosius & molestius sit, agglutinare illi multa oportet, nullâ ut plurimum cum symmetria, nulloque ordine e. Quæ res, testante *actionum Utilium* inconditâ multitudine, studium Juris impeditum, difficile atque perplexum reddidit. Sed & hæc, quæ cursum discipulorum remorari posse videntur, difficultates feliciter superare norunt, qui non in superficie subsistunt, sed altius penetrant, & insigni abditissimos juris recessus sciendi cupiditate scrutantur. Vertitur autem præclarissimi hujus negotii cardo in eruendis & dignoscendis 1. *Principiis juris naturalis*; 2. *Fundamentis politiciis*; 3. *hypothesebus Juris Romani*; & 4. *indole juris Patrii*. Ac quidem *jus naturale* quod attinet, hujus nobilissima doctrina tantum Jurisprudentiæ Romano-Germanicæ 3

quan-

¶ Vid. Arthurus Duck de *Usu & autor. jur. Civil.* b l. 3. §. 4. ff. de *Orig. jur.* §. 10. *Inst. de J. N. G. & C.* c *Grot. I. II. §. 10.* ibique *Teimar. Alsted. Thef. Chronol. Cap. 45. 49. & 50.* d *Lib. I. de Nupt. Cap. 6.* e *Hedinger. ad Instit. pag. 27.*

quantum æquæ ductus civitati præstat. Est enim tota legum civilium complexio ad instar cisternæ, ex qua omnes in civitate aquam petunt. At ubi fortè fortuna exhausta est, diversa facile diverforum dispalescit eonditio: Etenim tunc aliis, qui legis æternæ occultos rivulos rimari negligunt, aqua simpliciter hæret; Alii verò, rectà ratione duce, ad primum juris universalis fontem non sine maxima utilitate recurrunt. Atque huc facit non saltim illud Pomponii *f. Hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamus*, sed & Modestini assertum *g. Sufficio fidem formare ex ipsa naturali justitia*. Quod ut tantò clariùs appareat, exemplum subjiciendum est *de conditione furtiva*. Cum enim hæc etiam adversus heredem furis in solidum detur, licet ad illum ex re furtiva nihil pervenerit *b*, anxie quidem omnes in rationem legis inquirunt, paucis tamen eandem inventientibus. Quidam enim esse furem *in mora restituendi*, hæc autem obligationem perpetuari, dicunt *i*: Enimvero, ni fallor, frustra: Nam alias eadem juris dispositio obtineret etiam in aliis casibus, ubi similiter defunctus in restituendo morosus fuit *k*. Alii decidendi rationem exinde petunt, quod secundum estatum Imperatoris *l* conditio furtiva introducta sit *odio furum m*. Astenimverò & hoc sine ratione concludente dicitur: Nam sicuti verba textus probant, *odio furum* hoc saltim, ut hi ipsi pluribus actionibus teneantur, effectum esse *n*: ita, posteaquam fur mortuus est, odium ejus necessariò cessat, neque extendi potest adversus heredem illius innocentem *o*. Dila- buntur proinde haud pauci simpliciter ad *dispositionem legis* civilis, & cum ab illa hanc actionem *dari* existiment *p*, haud obscure innuunt, eandem etiam adversus heredem, qui ex furtiva re non locupletior factus, esse *darivam*. Nec autem hoc modo, quod in quaestione est, resolvitur. Nam semper adhuc remanet scrupulus, quæ æquitate successor universalis, qui ne obolum quidem ex re furtiva participavit, in solidum tamen obligari possit? Quapropter nonnulli ad *quasi contractum*, ceu anchoram sacram, confugiunt, atque hujus vinculo heredem furis illi, qui rem amissam condicit, teneri asserunt. Verum ut rarò quicquam inter illos, inter dum vix sibi invicem notos, intercessit negotii: Sic etiam satis adhuc obscurum est, in quo natura quasi contractus præcisè consistat *q*: Ut taceam quasi contractus vocabulum juri Romano esse plane

o (2)

igno-

*f* L. 2. §. 5. ff. de Ag. & ag. pluv. arc. g L. 13. §. 7. ff. de Excus. b L. 7. §. 2. & L. 9. ff. de Condit. furtiv. i Faber. L. 4. Consil. Cap. 1. Vinn. ad §. 14. Inst. de Act. n. 3. k Clud. de Cond. furt. Cap. 45. n. 18. l §. 14. Inst. de Action. m Harprecht. ad Inst. de Obl. quæ ex del. nasc. n Bachov. de Act. Disp. IV. tb. 21. circa fin. o Schneegass. tr. de Delict. L. Aquil. p. 57. p Lauterb. ad ff. tit. de Cond. furt. q Pagenstech. ad Lauterb. man. a. p. 258.

ignotum: Siquidem accuratè loquendo aliud est *ex quasi contractu*; aliud verò *quasi ex contractu* obligari. Propius quidem ad scopum accedunt, qui condicenti tacitam in bonis furis *hypothecam* tribuunt s: Nihil tamen minus iisdem obstat, quod legis Romanæ hac de re dispositio cesset, citra istius verò auctoritatem pignus tacitum nemini olim concessum fuerit. Alii in trivio constituti, & dubio, quò se vertant, fluctuantes animo, ne fortè impingant, subsistere, quam progredi malunt, atque ideo adversus heredem furis, si nihil ad ipsum ex re furtiva pervenit, conditionem furtivam dari, apertè *negant*. Unde celeberrimus quidam ex recentioribus *Jctis* alicubi, *Hanc*, ait, *Sententiam* & *æquitas* efflagitat. *Sume: Titius mihi furto aufert equum, æstimatum centum thaleris imperialibus, cumque insequentes fugiens, fluvium palustris & voraginoso loco vellet transire, aquis abreptus & obrutus una cum equo suffocatur. Quid arbitraris? Estne equum, heredem Titii, furis, qui e quum illum nunquam oculis suis aut manibus usurpavit, in solidum in centum thaleros imperiales teneri? Nullam hic agnoscerem æquitatem.* Hæstenus littora legimus: Ratio instituti postulat, ut scopulos præterverti, tutum nunc portum petamus. Recurrendum videlicet ad Doctorem juris naturalis scholas, quæ inter alia & hæc duo præcipiunt: *Quovisque alter alteri damnum dedit, eoque ledentis bona sunt læso obnoxia facta. Quantum vero defunctus ex bonis suis ad resarciendum damnum læso solvere debuit, tantum exinde prestare tenetur ille, qui bona defuncti jure successionis sibi addidit.* Nunc, ut opinor, de ratione & æquitate juris etiam Romani, quo furis heres in solidum tenetur, etiam si nihil ad ipsum pervenit, satis abundè constabit. Sed quid prohibet adhuc alio, breviori tamen, declarare exemplo, quanta Philosophiæ Practicæ in foro civili sit utilitas? *Actionem ad exhibendum* Ulpianus x disertè personalem esse statuit. Audiamus verò, quid de illa Bachovius, alias solertissimi ingenii & acutissimi judicii *Jctus*, ad Wesenbecii Paratitla y notaverit. *Ego*, inquit, *ingenuè fateor, vix habere me, quòd dicam, & quomodo defendam, actionem esse personalem, quæ ex nulla oritur conventionione.* Astenimverò quem, nisi in morali doctrina hospitem, latet, etiam ex humanitatis officio, si cui lex civilis assistit, efficacem & nasci actionem

in foro

v Vultej. *Jurispr. Rom. L. 1. C. 42. n. 1.* s Vid. *Carpz. Crim. qvæst. 80. n. 119.*  
 † *Lauterb. ad ff. tit. In qvib. caus. pign. vel hyp. tac. contr.* u *Conf. Turrian; tom. 2. de J. & J. Disp. 53. dub. 12. Mev. P. 5. D. 39. Dn. Schilt. Ex. 19. hb. 72. & 73. x L. 3. §. 3. ff. Ad exhib. y cit. tit. n. 2. z Grot. II. XXV. 3. 4. Pufend. L. 1. de J. N. & G. Cap. 7. hb. 7. in fin. & Illustr. Dn. Stryk. de Ad. hb. 1. Sect. I. Membr. 2. §. 38. 1799.*

in foro externo? Jam autem æquitas, Romananis legibus corroborata, tanto magis exigit, ut rem, quam detines, desideranti exhibeas; quanto promptius, quod mihi prodest, & tibi non nocet, facere, jure omni es obligatus *a*. Nec verò tibi exhibitio nocebit, si res deprehendatur non mea: Quod si autem illius dominus sis, præterea ex alio juris naturalis præcepto suum cuique tribuendum, te scire oportet *b*. Usque adeò juris Romani studium juvat, promovet & perficit *c* Philosophorum disciplina de officiis? His autem porro gemina sunt *Fundamenta politica*, quibus si destituitur, nec vera est nec solida, Jurisprudentia nostra. Ut enim ligamenta *humani*; sic leges *civiles* corporis seu Reipublicæ perfectè intelligi nequeunt: nisi utriusque structura atque compages accuratè præcognita, penitusque perspecta fuerit. Evidentiam asserti dabit vel unicum, ex quo tamen innumeræ fluunt juridicæ observationes, exemplum. Videlicet pactis *d*, salvo jure Dei *e*, coalescit Republica & quidem duobus: quorum *primum* celebrant singuli cum singulis de futura cohabitatione & mutua conjunctione cum voluntatum tum virium: quod illustratur per natales Reipublicæ Romanorum, Batavorum & Helvetiorum *f*. *Altero pacto*, cujus vestigia etiam in sacro Codice inveniuntur *g*, cives summam in se imperaturo potestatem deferunt: quod fit per voluntatum & virium in unum sive hominem sive cætum translationem, cui inter alia inest *renunciatio* juris æqualitatis & propriæ vindictæ; *obligatio* non resistendi; *promissio* publicum præferendi privato; & *consensus*, ut plurium vota habeant jus integri *h*. Quæ omnia cum ita sint, non possunt non plurimum & insigne juris studio fœnerari lumen. Etenim jam primo facilius intelliguntur verba Imperatoris *i*: *Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem: quum lege Regia, quæ de ejus Imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concedat*. Deinde cum cives non omnibus modis ac partibus, sed tantum quatenus ad finem civitatis obtinendum expedit, societati se obligaverint, sua sponte exinde fluit, cives singulos pro debitis suorum civium aut summi Imperantis non adstringi. Atque exinde nunc clarius elucescit, quo jure Ulpianus *k* dicat: *Si quid uni-*

)o( 3

vers-

*a* L. 2. §. 5. ff. de Aq. & Aq. pluv. arc. *b* Illustr. Dn. Stryk. d. l. §. 39. *c* Kulp. Colleg. Grot. Ex. I. th. 2. *d* Pufend. de Off. Hom. & Civ. L. II. C. 6. Mollenbec. Prud. Civil. p. 46. seq. *e* Kulp. d. l. p. 21. *fin.* Hub. de Jur. Civ. L. 2. Sect. 2. c. 1. n. 29. seqq. Zentgr. de J. & J. p. 192. *f* Molleb. d. l. p. 48. *g* 1. Sam. X. 24. XI. 1. 14. II. Sam. V. 1. Chron. XI. 3. XXIX. 1. Mollenb. d. l. p. 49. *h* Idem p. 47. Grot. I. IV. 2. §. 3. *i* §. 6. Inst. de J. N. G. & C. *k* L. 7. §. 1. ff. Quod anjunctingte Unjers. nom.

*versitati debetur, singulis non debetur: nec, quod debet universitas, singuli debent.* Sed & illud animadvertendum, quod dissoluto licet pacto secundo, adhuc tamen, si modò primum manserit salvum, ipsa perduret Respublica *l.* Et ex hoc principio deducendum est, cur jurisdictio morte mandantis Principis non expiret *m.* & cur legata sub conditione relicta, quæ alias morte legatarii ante existentem conditionem intercedebant, apud Romanos Principis morte *n* non extinguerentur? Porrò cum exterus per affectionem in numerum & jura civium receptus, hoc ipso omnes Reipublicæ leges etiam duras, tacite ad minimum *o* approbet, non est, ut postmodum de Justitia illarum dubitet, quando vel ob neglectum fatale *p* causà cadit, vel præstito licet purgatorio juramento, expensas interdum *q* refundere cogitur. Speciatim verò per *renunciationem* propriæ vindictæ inducta & statuminuta est autoritas *r* judiciorum; per *obligationem* non resistendi adstringitur civis ad acquiescendum in supremi Judicii sententiis. Nam Prætor quoque *ius reddere* dicitur, etiam cum *iniquè* decernit. *Promissio* publicum præferendi privato sustinet effectum *r* Juliani: *Multa jure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest*, ex quibus in præsentem allegasse satis erit, vel solam prohibitionem anatocismi *x* *Consensus*, ut vota majora concludant, *id* operatur, ut non injusta *x* vocari possint, quæ per suffragia instituuntur consultationes atque eliciuntur controversiarum decisiones. Non autem in cursu juris Civilis sufficit, oculo altero ad dextram naturalis æquitatis fontem, & altero ad sinistram respicere doctrinæ Politicæ rivulos: Verùm etiam, quæ in media via occurrunt, *juris Romani hypothefes* diligenter sunt observandæ. Ita, ut rem exemplo declarem, Paulus *y* *Si*, ait, *tibi decem dem, & pacifcar, ut viginti tibi debeantur, non nascitur obligatio ultra decem: re enim non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.* Sed cur tamen per *stipulationem* illud fieri potuit? Rescripserunt enim Imperatores, Severus & Antoninus: *Quamvis usur & senebris pecunie circa vinculum stipulationis peti non possint: tamen ex pacti conventionione soluta, neque ut indebita re petuntur, neque in forem accepto ferenda sunt.* Relinquitur ergo dis-

quisi  
*l* Hert. Diff. Sect. tom. I. p. 423. *fin.* *m* Cap. 2. de Offic. legat. in 610. *n* L. 56. ff. de Legat. 2. *o* Huber. de Jur. Civit. L. 3. Sect. 2. C. 1. §. 9. Reiter. de Alienat. p. 50. n. 4. *p* Conf. Illustr. Dn. Stryk. Vol. I. Disp. 14. de Conscient. Partium C. 4. n. 7. *q* Vid. Magnif. Dn. Berger. Resol. LL. obft. p. m. 189. *r* Grot. Procl. 19. §. I. III. 2. II. XX 8. 4. §. 9. 4. §. 40. 1. *s* L. pen. ff. de J. & J. *t* L. 51. ff. Ad L. Aguil. *u* Fromm. Diff. de Anatocism. th. 9. *x* Claud. Pratej. Lib. 3. Reg. jur. tit. 10. C. 2. *y* L. 17. pr. ff. de Pat. *z* L. 3. C. de Usur.



acquisitioni nostræ, quænam sublit ratio diversitatis, quòd in mutuo  
 usuras vel aliam accessionem quis *stipulari* quidem, non autem va-  
 lidè *pacisci* possit? Dixeris forsitan, adversari hujusmodi pactum  
*mutui*, quòd contractus gratuitus est, essentiali proprie-  
 tati & formæ. Sed nonne stipulationi quoque hæc ipsa  
 ratio obstat? Quamobrem altius repetendum, quòd *pactum* ex hy-  
 pothesi Juris Romani saltim exceptionem, ac, si contractibus in  
 continenti adjectum est, etiam actionem: non tamen propriam,  
 sed tantum ab illis mutuam producat, hæc autem effectum, non  
 nisi naturæ sui contractus convenientem, habere possit. *Stipulatio*  
 contra est peculiaris & quidem nominatus contractus, qui uti citra  
 alterius cujuscumque conventionis adminiculum per se subsistit; ita  
 exinde ad repromissas in mutuo usuras vel alias accessiones  
 propria quædam nascitur actio, quæ proinde omninò ad di-  
 versum, quam actio mutui, a tendere ipotest. Progredior  
 & aliud ad confirmandam sententiam meam propono ca-  
 sum. Acriter nimirum in foro pariter & in cathedra disceptatur,  
 cur *alienatio* contra *conventionalem* prohibitionem facta, ni-  
 hilominus valeat; ipso autem jure sit nulla, si à *testatore* prohibita  
 fuerit? Jam multi quidem magni nominis Jcti rationem diversi-  
 tatis in eo quærunt, quòd c prohibito testatoris *rem* ipsam; pactum  
 verò saltim *personam* afficiat. Ast in his non acquiescendum, sed  
 & ratio rationis investiganda est. Hæc verò iterum derivatur om-  
 nium optimè ex singulari Romani juris hypothesi. Nam ibi d  
 ex dispositione LL. XII. Tab. *Uti legasset sua rei, ita jus esto*: ultima  
 hominum voluntas habet e vim legis, contra hujus autem prohi-  
 bitionem si quid suscipitur, irritum in foro Romano infectumque  
 habetur. Superest, ut & illud consideremus, quomodo, qui  
 circa Juris prudentiam Romano-Germanicam occupatur, *indolenti*  
*juris Patrii* non debeat relinquere intactam? Nam vel unica de *per-*  
*secutione damnorum* tractatio g fatis evincit, quam longò intervallò  
 à Romanorum Lege Aquilia mores Germanorum hodierni rece-  
 dant? Sequuntur enim simplicitatem juris Gentium & dispositio-  
 nem juris Canonici, ex quo actio datur læso non pœnalis, qualis

ex L.

a Coedd. de Contrab. & commit. stipul. C. 8. n. 83. b Lauterb. ad ff.  
 p. 49 c Bachov. de Action. Disp. 4. th. 19. d L. 120. ff. de Verb. sig-  
 gnif. e Nov. 22. C. 2. pr. f L. 5. C. de LL. g Vid. Dn. Thomæ  
 iii Diss. de Larva L. Aquilia detracta.

ex L. Aquilia competit, sed simpliciter rei persecutoria: Hæc verò  
indiscriminatim lædentes heredes tenentur: cum illa tunc demum  
conveniri possint, quando aut ex delicto aliquid ad eos pervenit,  
aut lis cum defuncto est contestata. Sic Legibus Romanorum  
non saltim approbatur, sed & imperatur *h delinquentium remissio*,  
ita ut illam iudex domicili, utur ipse ad jus reddendum paratus,  
haud tamen declinare i potuerit. Tametsi verò non desint, qui &  
in foro Germaniæ eandem juris Romani dispositionem observan-  
dam esse existimant: mutata tamen imperii nostri facies oppido  
refragatur. Cum enim non amplius, uti olim, provinciæ & ci-  
vitates omnes uni Principi pareant, sed qualibet propria sua gau-  
deat jurisdictione; nunc delinquentium remissio rectius civilitatis  
esse dicitur, quam absolutæ & necessitatis. Hæc, quam hæcenus  
exposui, methodo non facile saltim, sed & solide jura addisci possè,  
firmissime credo, & nequid jactantius, quam verius dixisse videar,  
verborum veritatem rerum argumentis edocebo. Nam postea-  
quam Serenissimus ac Potentissimus Rex Poloniarum atque Ele-  
ctor Saxonix, FRIDERICUS AUGUSTUS, Dominus &  
Nutricius noster multò clementissimus, plane singulari Regiæ  
gratiæ argumento mihi provinciam jura in hac alma extra ordinem  
publicè profrendi indulgentissime demandavit, non saltim inter  
privatos parietes *Institutiones Justiniani*, verùm etiam in cathedra  
Jctorum Titulum ex *Digestis de Verborum significatione* succincta  
commentatione illustrabo. Hujus verò publici muneris auspi-  
cium cum proximo die *Mercurii* audità horà II. a meridie facturus  
sim, florentissimam, quæ in spem Reipublicæ & Ecclesiæ nata est,  
Juventutem, ut cum frequentia, tum constantia sua benevolum  
docenti affectum declarare velit, officiose cupio & peraman-  
ter rogatam. P. P. Dom. XIX. post Trinit. A. R. S.

M. D. CCIII.

*b L. 1. C. ad L. Jul. Reperund. L. 7. § 11. ff. de Custod. & exhib. reor. Nos. 134.  
§. 5. i Carpz. Crim. qd. est. 110. n. 48. seqq. k Gail. L. 1. de Pac. publ.  
Cap. 16. n. 30. Richt. Decif. 15.*

Ulrich Henberg, Diss., 1702 S-2-  
1703

ULB Halle

3

003 949 826




f

1702

1703







3407.

30  
9

Q. D. B. V.  
De  
**STUDIO JURIS  
RECTE INSTI-  
TUENDI,**

*Salvo aliorum Judicio,*  
cogitat

& simul Scholas tam privatas

AD  
**INSTITUTIONES**

Justinianæ, quam publicas ad  
Digestorum Titulum

DE  
**VERBORUM SIGNIFICATIONE,**  
cupidæ Legum Juventuti officiosè

aperit  
**HENR. ERNEST. SEEBACH,**  
Jur. Utr. Doct. & Prof. Publ. Extraord.

VITEMBERGÆ,  
LITERIS JO. GOTHOFREDI MEYERL.



12.